

Johann Christoph Bielefeld Thomas Paul Steger

Metaphysica Theologiam Gradualiter Adumbrans

Rostochi[i]: Weplingius, 1688

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732448883>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1688

Q. D. B. V.

**METAPHYSICA
THEOLOGIAM
GRADUALITER AD-
UMBRANS**

Indultu Superiorum in Celeberrimâ
Rostochienfium Academiâ
Sub PRÆSIDIO

25

**M. JOHANNIS CHRISTO-
PHORI BILEFELD,**

Disputatione publicâ
Eruditorum examini submittitur
RESPONDENTE

THOMA PAULO STEGERO,

Lipfienf.

Instante die Mercurii, 4to Aprilis, Anno, 1688.

H. L. Q. C.

ROSTOCHL, Typis JOH. WEPPLINGII,
UNIVERS. TYPOGR.

METAPHYSICA
THEOLOGICA
GRABNER
MICHAELE
THOMAS
THOMAS


52



Præfamen.

TAmetsi quidem post uberrimas aliorum menses spicas legere & crambē toties coctam recoctamq; coquere recoquere non sine offensa nausēaq; Lectoris videatur, qui de legitimo Philosophiæ in Theologiâ usu plura in orbem literarium scripta protrudere velit, quippe cum hōc munere tot Philosophi Theologi q; puriores jam dudum ex asse defuncti sint; sua tamen laude nullatenus defraudandi, qui, doctorum de hâc materiâ chartas dumvolvunt, revolvunt, ibidem posita æquâ lance ponderant, & si vel maximè nihil inveniunt, inveniunt tamen hâc ratione addant, ut vel methodo nervosiori aut perspicaciori argumentorum valorem luci exponant distincteq; proponant, vel sub argutum eadem Examen vocantes, novâ & efficaciori nonnunquam ratione Thesin propugnandi ansam arripiant, omniaque in rem suam conferant, præsertim cum in hunc usque diem eadem nobis, imò dixerim graviora, quàm olim fuere, certamina sint subeunda. Nam uti antiquiores & moderni Calviniani Sceptrum Theologiæ manibus excussum eunt & Philosophiæ tradunt, dum in Divinis æquè ac Humanis scientificè progredi volunt omnia ad normam non fidei sed Rationis exigentes, ita & omnes, quibus Cartesianismus hæret in medullis, eadem decempedâ, Rationis scilicet, res naturæ atq; mysteria scripturæ emetiri conantur, quò pariter fundamento Socinianorum heterodoxia nititur, quippe qui cum sic dictis Reformatis, Rationi nimio plus tribuendo, egregiè conspirant. (Quem consensum detrectaturus *Ulricus Huberus* Franequeranus Professor, in Libro de Concurſu Rationis & Scripturæ haud ita pridem edito, contra ipsos Socios Reformatos Doctores Theologos Franeqveræ Professores *Joh. Jan der Wayen* & *Hermannum Alex. Roëliam* disputat.) Non desunt autem qui ab ejusmodi excessu alieni in alterum extremorum incidunt, omnem sanioris Philosophiæ

ac Rationis in Theologiâ usum planè extirpaturi, quò nomine jure meritoq; culpandi sunt Pontificii, quoties nobiscum in arenam descendunt. Equidem *Gregorius de Valentia Tom. III. Com. Theol. Disp. I. quæst. 1. pun. 7. S. 43. sqq.* inter normas quas Pontificia agnoscit Ecclesia Rationem quoq; ponere videtur, uti & ipsa ejus praxis hoc nunquam confirmat, *vid. B. Meisn. Phil. Sobr. part. II. in proëm.* attamen non nisi desperatis rebus Ratio aut Philosophia in auxilium vocabitur ad Scripturæ auctoritatem, si clarissimis verbis contrarium credendum præcipiat, imminuendam: Cæcæ enim Superstitionis ac credulitatis fundamento Pontificia nititur Religio, inde non potest non sanio rem Philosophiam omni modò averfari, ne tot enormes errores, tot nugæ omnium oculos incurrant, *ad eliciendas quippe consequentias, ad vindicias, veri falsiq; elenctum opus arte Dialecticâ quam Regno suo exitiosam limis semper aspectavit tenebrarum princeps* verba sunt *B. Dannhaveri Hodosoph. f. 18.* Inde, currente hõc seculò, Batavi Fratres *Adrianus* ac *Petrus de Walenburch* novâ, seu potius renovatâ methodo, quam Augustinianam jactitabant, omni consequentiarum usu disputantes privaturi, quælibet credenda *ἀνωμαλέα* in Sacris Literis haberi nec ullâ Syllogizandi ratione elici debere statuebant, quos stentoreos absurdum dogmatis defensores eorumq; asseclas in turpissimum, præ aliis, rapuere pudorem (nisi pudor fortè omnibus periit) *Johannes Museus* Theologus quondam Jenæ non incelebris, peculiari Disputatione ibidem habitâ, & *Excellentiss. D. Kortboletus* in *Tractatu, de processu disputandi Papisico*, ubi simul Architectum hujus *ἀνωμαλέας* extitisse Antonium Fabrum *J. C. tũ* sub initium huius seculi, postmodum à Jesuitâ Gallo *Johanne Gonterio*, à Parisiensi *Francisco Veronio*, à *Walenburchiis* jam dictis, à *Laurentio Forero*, ab *Hieronymo Mulmanno* interpolatam fuisse, instauratam ipsaq; præxi erpressam & propagatam, serie longè utilissimâ commemorat. Inter hos igitur qui Philosophiæ limites plus justo dilatant dominium penes eam statuendo, & illos, qui terminis æquò angustioribus eandem claudunt, ne ministerium quidem ei concedendo, medio tutissimi eunt saniores Philosophi ac orthodoxi Theologi, quippe qui vel in naturalibus *grallatoria Cartesii* verba *Princip. part. I. artic. 207. Nihil affirmo nihilq; ab ullo credi velim nisi quod ipsi evidens & invicta ratio persuadebit,* modestè declinant, tantum



nim abest ut Philosophiæ ac Theologiæ modulos Rationem & Fidem inter se permulent, quin potius *Sacri opera Supparo silentiū irrumperere non audeant*, pro *etuditi hoc insitiã* cum Scaligero deputantes, *nescire velle quæ Magister maximus docere non vult*; Interim tamen illud Philosophiæ suõ quasi jure vindicant, quod nisi extra oleas, communi verbõ, vagetur, non parùm utilitatis in Theologiam ex eadem redundet, hinc circa res Divinas accuratissimè nonnunquam philosophantur, at nihil quicquam monstri alunt ut Dictatoriã fede Philosophiam collocent, terminos enim ad materiam non materiam, ad terminos ritè recteq; applicant. Equidem præfens nostrum institutum ejusmodi non eget cautelâ ne periculum nobis de Philosophiã in Theologiam saltu immineat, siquidem nihil planè pagellis his commercii intercedit cum rebus fidei, nihil cum dogmatibus Theologicis, attamen nulli negamus, *in aliena cãbra*, utor verbis *Senecæ Epist. 2. ad Luciliũ* quodammodò *transimus, non tanquam transfuga sed tanquam exploratores*, in nobilissimã scilicet Philosophiæ parte, quæ est Metaphysica, ansam de longè eminentiori Theologiæ nobilitate judicandi, quærentes. Et sanè, cum in Epistolis suis *Plinius*, Censor ille rerum accuratissimus, tanti hæc talia faciat, ut Barbaris eam quidem laudem concedat *preclare invenire* iisdem tamen *apte disponere & figurare variè* neget; aliqua saniorum saltèm puncta nos laturus esse non desperamus, dum Theologiæ dignitatem sub Schemate Metaphysices quadantenus figurare allaboramus. Ergò Bono cum Deo ad rem.

SECTIO I.

Sistens terminorum ætiorum cum legitimã applicatione.

S. I.

IN vulgus notum est haud levem in Scholis olim Philosophorum circa genuinã vocis Metaphysices acceptionem fuisse dissensum, qui cum ipsam naturam & constitutionẽ, imò & objectum hujus Disciplinæ simul tangat, in atrio statim discentium oculis tenebras offundit, ita ut *Philosophatã* ille *Stablius in proëm Metaph:* fateatur, hæc talia tam difficilia tam intricata totq; *spicis esse implicata ut etiam consummatis Philosophis plurimùm faceßant negotii*; At quanto cum commo-

do vel incommodo judicent alii. Legant, qui ejusmodi tris delectantur, legi fortassis non indigna, apud Keckermanum ejusq; Antagonistam Goslavium, Scheiblerum, Avicennam, Alpharabium & commentatores in Aristotelē passim. Notari autem præ aliis meretur significatio ejus Synecdochica siue generalis quâ apud Aristotelem ipsum *l. IV. Met. c. 1.* universam Philosophiam complectitur, & Restricta seu Specialis, quâ cõmuniter à rerũ ordine Metaphysica, ab objecto proprio rectius *ὀνολογία* s. scientia de Ente appellatur, cui famoso significatui vulgaris illa competit Definitio, *Metaphysicam esse scientiã generalissimam & contemplantiẽ ea, quæ res Physicas aliarumq; scientiarum Objecta transcendunt, nempe Ens quatenus Ens ejusq; affectiones & prima universalissimãq; principia.*

§. II. Hæc verba, uti nativam propriamq; Metaphysices significationẽ satis accuratè declarant, ita ejusdem præ cæteris Disciplinis eminentiam simul ob oculos ponunt, eaq; propter nobis, qui in naturã hujus Disciplinæ nobilitatem jã vel maximè attendimus, omni ex parte probantur: Præstantissima enim quibus honorari solet nomina ab hæc Definitio-
ne trahunt originem; Ita ab *Arist. II. Metaph. 1. 3. & V. Met. c. 1. &c.* vocatur *Philosophia prima* non primitate inventionis, nec informationis, sed perfectionis propter objectum, Demonstrationis ob principia, Attributionis quia reliquis Disciplinis objecta sua attribuit, & Defensionis dum attributa defendit (secundum materiale & universales rationes) uti id ipsum acutè deduxit *Schertzerus* in *Brev. Eustach. p. 400. sq.* Pari quoq; modo *Theologia naturalis* appellatur, non tam quod de DEO tractet, sic enim naturam Disciplinæ universalis non satis intellectam putat *Calovius Met. Divin. f. 146.* Sed propter Subjecti, sublimitatem, principiorũ infallibilitatem, usus ubertatem & regalem dignitatem, ideoq; *f. 153.* Pererium, Metaphysicam pro Disciplinã quæ de Spiritibus tractet venditantem castigat.

Quod

Quod tamen à Pererii mente alienum esse *Hornejus in Concl. Met. §. 3.* ostendit: rectè, inqviens, statuit Pererius *1. Phys. c. 7.* & qvi illum seqvuntur, qvòd consideratio de Substantiis incorporeis peculiarem sibi scientiam vendicet. Acu rem tangit *Anton le Grand. qvi Proleg. part: II. §. 7. & 9.* Theologiam à diverso principio in Naturalem & Supernaturalẽ dispescens, prioris nomine Metaphysicam, *qvæ omnes Philosophie partes transcendat & veluti Solis lumen qvi per totum Mundum dispergitur, per universas Disciplinas diffunditur* intelligendam dicit. Cum itaq; id nominis de excellenti Metaphyices dignitate magnopere testetur, rotundior exinde Disputationi nostræ titulus nasci potuisset, scilicet, *THEOLOGIA NATURALIS REVELATAM GRADUALITER ADUMBRANS;* nisi, qvìa latius patet hæc appellatio, de ambiguitate fuisset periculum.

§. III. Interim tamen hõc ipsõ cuivis dubitandi occasionem anticipamus, qvãlis hõc de DEO notitia sub Theologiæ nomine intelligatur, Revelatam enim, qvæ à Naturali non ratione *principii* solùm juxta *cit. Anton. le Grand.* sed & *objecti*, qvìa mysteria addit, *modi* dum non scientificè sed salvificè in fide procedit, & *finis* qvi salutaris non pædagogicus differt, nostræ esse considerationis, qvis non videt? Et quidem habitualiter spectatam non neglectã simul graduali ejus differentia, ita ut perfecta, perfectione scilicet Viatoris, quam Parisiensium ille Episcopus *Lombardus l. III. Sentent. dist 27. lit. G.* aliam esse ait *currentis* aliã *pervenientis* hõc locõ supponatur.

§. IV. At binæ qvæ sunt residuæ voces utramq; hõc faciunt paginam, & cum totius Scopus Disputationis in iisdem lateat, præcipuõ sibi jure enucleationem poscunt. Plures alias Graduum dantur denominationes, à diversitate Disciplinarum, quibus tribuuntur, petita, qvas collectas suppeditat *Scherzerus Man. Phil. p. 96.* in earum numero *Gradus Metaphysicus* definitur *Attributum quodlibet seu predicatum essentiale*

generis

genericum vel specificū quod alicui rei convenit, ut animal, vivens, corpus, qualem significatum, quippe nostro instituto minus congruum, sub adverbiali voculā *GRADUALITER* non indigimus. Neq; per eandem intrinsecus à nobis denotatur ascensus, quō Metaphysica, si Aristotelē seqvaris, in Entis consideratione utitur, nam apud hodiernōs Philosophos Scholastica ut plurimum dominatur methodus (nisi quod Altorffinis fortē Aristotelica magis arrideat) quā ab Ente in conceptu communissimo ad alia Entia ipsumq; DEUM deveniunt applicando ei attributa necessaria, sed, uti §. II. jam tum monui, nos utrōq; oculō ad nobilitatem & Eminentiam hujus Disciplinæ respicimus, quæ, dū excellentia excellenter proponit ac tractat, sede altissimā supremoq; præ cæteris gradu locatur; Huc se referunt Magni Schertzeri verba §. VI. *Brevic. Theol. Quos ordines in humilicafa Metaphysices deprehendis, eosdem etiam, sed longè sublimiores reperies in latissimo Regno Theologiae, ex quibus haud obscure Patescit, quomodo vocabulum GRADUALITER hōc in locō nihil aliud sibi velit, quam quod nativa & essentialis Metaphysicæ dignitas, Genio Teologiae, modo longè nobilior hujus observetur gradus, non incommode possit applicari.*

§. V. Notanter autem adhibitum est τὸ *ADUMBRARE*, si quidem τὸ sistere aut proponere non accuratam solum & adæquatam delineationem sed & necessitatem quandam involvere videtur; jam verò suis ipsa radiis coruscat Theologia, nec opus habet ut ad illustrandum Splendorem suum quicquam lucis à Philosophiā mutuet, sicuti & hæc suo in foro sufficiens est, unde verba *Pufendorffii* præcisè & extra hypothesin spectata, ponderare non carent: *quemamodum, inquit, ubi theologari placet ad solam Revelationem confugiendum est, sequestratâ ratione si quid adversus istam scrupuli movere audeat, ita si quis philosophari instituat, ei sane rationis usus & solers naturæ rerum contemplatio adhibenda*

*adhibenda, nec opus est ut Divinas literas in subsidium advocet atq;
inde hypotheses petat, nisi quis Cartesianis fortè Subtilitatibus
extra Se positus, Rationi, in legitimo (scilicet!) usu versanti,
errandi adscribat impossibilitatem, atq; ita non prater solum
sed & contra id quod in Naturalibus Revelatio determinavit,
ridicùlo Christianoq; homine indigno prorsus molimine
sapere sibi videatur. Igitur ADUMBRAT saltèm Metaphysica
Theologiam ceu Typus (assumtus non ordinatus) Antity-
pum; quò ipsò satis apertè testamur, non ita comparatè hic
spectari Metaphysicam & Theologiam, sicuti id in aliis Disci-
plinis consuetum minimeq; absolum, sed quia in naturâ Me-
taphysices reperiantur gradus, ex quibus ordo, quem The-
ologia servat per viam Eminentiaè possit colligi, id circò il-
lam hujus nominari adumbratricem.*

SECTIO II.

Quæ Theologia ipsam complectitur.

§. I. **S**I dicendum quod res est, faciliori commodiorq; viâ
ad propositum nostrum transire vix possumus quàm
â Theologiaè Definitione ejusq; in primis Genere ordi-
endõ: hâc enim ratione nobis sub initium modò generaliori & hu-
jus natura & alterius extremi nempe Metaphysices adum-
bratio ex mutuo Scrutinio facile innotescet.

§. II. Utraq; autem tam Metaphysica quàm Theologia
Sapientiaè titulum, impari licet respectu graduq; sibi vendi-
cat. Concludit omnino Metaphysica per prima & altissi-
ma universalissimaq; principia, ita ut rerum altissimarum
ex altissimo principio cognitionem pariat, ideoq; omni jure
Sapientiaè nomen ei tribuendum, An verò idem locò Gene-
ris in Definitione hujus Disciplinæ possit poni dubium vide-
tur, unde & §. I. Sect. I. Scientiam cum aliis substituere ma-
luimus: Unica enim tantum est Sapientia, *vid. Arist. ap. Dreierum
in Metaph. p. 42. quæ vel Apprehensiva omnes conclusio-*
B nes

nes innumeratō habens absq; discursu, q̄ualis modō longē perfectissimō in Deo reperitur, vel *Discursiva* quæ B. Schertzs *Brev. Eustach.* p. 400. Sapiencia quasi *Scientifica* audit, dum ex primis & ultimis principiis demonstrat, & talis sola est *Metaphysica*. Cū igitur æq; latē pateat Sapiencia ac *Metaphysica*, illa non poterit esse huius Genus, quippe quod in unō individuo salvari non potest. Quæ B. Calovius *Metaph. Divin. f. 148. & 154.* de Sapiencia primā & secundā adducit, ac postea Sapienciam præcisē & abstractē spectatam (*quatenus in communi denotet quæcumq; Habitum Ἀναγκάειον s. Discursivum cum notitiâ principiorum simul conjungentem notitiâ Conclusionum, quæcumq; ea sint principia, quæcumq; Conclusiones, modō in istâ cognitione ultimato subsistatur*) Genus putat esse *Metaphysices* suō locō relinqvimus. Certē si plures unâ dantur Sapienciæ, etiā non prima universalissimaq; solū sed & secunda ac tertia habebis in hōc Habitu principia quod implicare videtur.

§. III. Aliter se res habet cum Theologia: Hæc enim uti supra Sphæram *Metaphysices* thronō longē sublimiori refidet ita terminorum se rigori plenē planeq; sub jicere non tenetur, unde Genus ipsi remotum *Habitus*, proximum *Sapiencia* assignari potest, non ea quidem quæ *Habitus Aristotelici* sit Synonymum, sed tūm ἀναλόγιος, quæ in reliquis *Habitibus* nulla est, tūm *Eminentia* ratione considerata, quō respectu tantū abest, ut intelligentiæ, scientiæ, Prudentiæ sit adversa, quin potius eminenti perfectione suâ omnes hos *Habitus* completatur eorumq; naturam exhauriat, licet igitur *Habitus Aristotelicas* transcendat, eos tamen ἀναλόγιος refert, *Et Hoc SATIS EST* inquit Schertzerus: quid enim prohibet quō minus hoc sibi moderamen sumat Theologia dum immota ejus veritas non in conformitate cum præscripto *Rationis* aut *Philosophiæ* sed cum principio *Revelationis* *Scripturâ Sacrà* consistit; Egregia sanē ratio in *Proleg. Brev.*

Hülsem

*Hülsem. §. 5. de servatâ in aureo hōc librō methodo Theologi-
câ redditur: Non reesse est, habent ibi verba, eam NB ad leges
vulgaris methodi Synthetica vel Analytica conformari, est enim
methodus Singularis rerum ex solâ Revelatione innotescantium
quæq; Deum ipsum non Aristotelem Doctorem habet. Quid de Pro-
positionibus Personalibus dicendum? quæ tanquam singulares &
inusuati modi prædicationum jure meritoq; modificantur ad effe-
rendum singularem & inusuatum modum unionis ac communionis
inter Divinam & Humanam Naturam in Hypostasi Personæ Christi,
sunt verba Hülsemanni Brev. c. VII, Thes. X. Neq; enim ad Es-
sentialia seu intrinsecas nec accidentales sive extrinsecas
propositiones in Logicis possunt referri, cum neutra Natu-
rarum sit de essentiâ alterius, nec inter duas Naturas ad con-
stituendam unam Hypostasin vinculum accidentale locum
habere possit, ideoq; Propositiones hujus mysterii ad Regu-
las Philosophorum non sunt trutinandæ, aut exigendæ, vid.
Schertz. Colleg. Anti-Socin. Diss. II. Thes. 3. Imò Meisnero ne le-
vissimus iste quidem error videtur cujus infimulari Theologi-
gia ab Adversariis possit, si terminorum jugum excutiat iis-
demq; pro rerum modō Sacræq; veritatis exigentiâ utatur,
quæst. v. ex. IV. §. 31. Cum itaq; hæc libertas Theologiæ jure
meritoq; maneat integra, cur non etiam hōc locō in consti-
tuendo ejus Genere, ubi inter Sapientiam Eminentem &
Habitum Aristotelicum analogia adhuc intercedit.*

§. IV. Fundamentum autem hujus analogiæ infinitâ
rerum nititur distantia, non ob denegatam omnem conve-
nientiam, sed propter infinitam alterius extremi præ altero
excellentiâ, unde est in vi eminenti analogica applicatio.
Metaphysica nimirum in consideratione Enis realis uni-
versalissimi terminos itidem tradit communissimos undi-
quaq; occurrentes, quid *Essentia, Existentia, Subsistentia, quid
esse, quid per se aut per accidens esse, quid Actus & Potentia, quid*

Principium Causa &c. quibus omnia comprehenduntur quæ in universalis scire homini sunt possibilia. Deducuntur ex his principia prima & Causæ supremæ, quas non evoluit solum Metaphysica, sed & conclusiones ex iisdem elicit quibus hîc recensendis inhærere frustraneum foret, cum omnia ista principia, tironibus Metaphysices, modò terminos aspexerint, sint notissima. Tam altò Scrutinio hæc Disciplina Naturam Entis indagat universalissimam. En verò *gradulem* Theologiæ hæc in parte *adumbrationem*! Jactat Metaphysica, quod sapientiæ proprium, *principia prima & altissima*; Tolle oculos & altissimis altiora reperies in Theologiâ, Annon Deus ipse, & quidem solus *principium Theologia Essendi, principium Quod Revelationis principaliter*, ubi Ratio vel in præcipitio subtilitatis considerata, ne micam quidem sapientiæ potest proferre, cujus impossibilitas satis emphaticè expressa est in oppositione *Carnis & sanguinis Revelationi à Patre cœlesti factâ Matth. XVI. 17.* Ostentat Metaphysica *altitudinem objecti* Entis scilicet universalissimi; Ast umbra saltem est hîc splendor. Quicquid revelati de obligatione ad verum Dei cultum, de fide salvificâ, aliisq; veritatibus Canon continet Biblicus, illud in universum Theologia sui agnoscit objectum, quod uti *altissimis* scatet *mysteris*, ita eorum jubar mentis oculum adeo perstringit ut Ratio instar noctuæ in Sole caliget, & hæc tamen omnia sub terminis eminentissimis, videlicet *S. S. Trinitatis incarnationis Filii Dei &c.* Theologia scrutatur.

§. V. Ecquis igitur non cernit, si universalitas Metaphysices eò usq; se extendat ut proprium hoc ei tribuatur munus, *omnia juxta §. præced: Scire in universalis quæ homini sunt possibilia*; multò magis eminentem Theologiæ Sapientiam, *omnia in universu quæ ex Revelationis lumine innotescere possunt*, suo comprehendere ambitu; Sed propius adhuc accedendum

dum est ad rem. Ens illud abstractè & generalissimè sum-
 tum duas in Metaphysicâ fortitur classes seu species univo-
 cas (modus quippe existendi saltem variat) *Substantiam & Ac-*
cidens: Ad hæc duo genera summa omne Ens verum & re-
 ale in particulari referatur necesse est. Annon verò hîc ar-
 gumentum præbetur totius *disquisitionis* Scripturæ eminenter
 in Theologiâ considerare? Quicquid Revelatum in Sacro
 reperitur Codice aliud certè discrimen non admittet quàm
Legis & Evangelii: Hæc in universali Hominum vocatione
 materia est prædicationis, ubi ad Legem & Testimonium
 provocatur Esa. II. 20. Si itaq; hæc Scripturæ divisio cum
 præcedanèâ Entis partitione ponderetur, hujus altitudo ad
 illam mensurata vix erit conspicua: quantum enim interfit
 discrimen f. i. ac operum ad sanorum formam & normam
 verborum dignoscere, nemo certè Philosophorum, quam-
 vis duas Entis classes Substantiæ & Accidentis penitissimè
 fuerit perscrutatus, sibi relictus judicabit.

§. VI. Reperies insuper in benè constituto Metaphy-
 fices Regno non qualem cunq; Entium confusionem, aut, ex
 absurdâ Pici Mirandulæ opinione omnium Habituum con-
 fluxum, sed egregium potius *ordinem* reliquorum *Entium*
sub universali, ita ut distincta cuius pateat consideratio, *Entis*
creati & increati, per se & per Accidentis Actu & Potentia &c. quæ o-
 minia se ad *Ens in abstractione sumtum* referunt, taceo quod o-
 mnium Disciplinarum objecta secundum rationem univer-
 sale in Metaphysicâ concentrentur *juxta Schertzeri verba*
l. c. p. 402. Quid quæso hîc latet sub umbrâ? Inquire modò
 ductu Theologiæ Oeconomiam Salutis & infinites nobilio-
 ra. offendes, quomodo scilicet facta post lapsum generi hu-
 mano *Missio Redemptoris*, Redemptorum per Verbum & Sa-
 cramenta *Vocatio*, Vocatorum per fidem *justificatio* & quæ
 sunt alia, ad unicam unius Dei Gratiam necessario respici-
 ciant

Cient, atq; ita *habitudinem ad primam causam* non obscure demonstrent.

§. VII. Haud ultimus verò gradus est nobilitatis Metaphysices, quod ab omni eximia imperio primatu præ reliquis Disciplinis gaudeat, quin imò ob prima & universalissima quæ continet principia, aliis potius præscribat & dominetur, quam quod ipsa alteri cervices submittat; Theologia quidem, sapientia illa Eminentissima inferiores sub eodem Genere Disciplinas non agnoscit, derogaret enim hoc e jus excellentiæ si plures, dignitate licet minores darentur Habitus genericè cum ipsâ convenientes, sola quippe Regnum possidet, sola sibi habet concredita quæ Lumen tangunt Revelationis; Nihilò tamen minus, si intellectus & Rationis lumen ad intimiora ejus velint penetrare, si suo Modulo credenda metiri contentur mysteria, Monarchicū sibi regimen extorq; veri neutiquam permittit: falsa enim pro veris, stulta pro Sapientibus invenit Ratio I. Cor. II. 14. imò *πᾶν νόημα*, nisi à Theologiâ sub fidei obsequium captivari se patiatur II. Cor. X. 5.

§. IIX. Quod reliquum est, hoc sibi demandatum esse putat manus Metaphysica, hunc finem constitutum, ut extra dubitationem ponat hominis animum, partim quia sistit ipsa principia generalissima & demonstrationes primas, quarum ulteriorem deductionem intellectus nec indagare potest, nec opus habet, cum in illis ultimato acquiescat, partim, quia omne id quod in reliquis Disciplinis concluditur, imò quæcunq; in iisdem formantur demonstrationes, ultimam in Metaphysicâ experiri possunt analyfin, adeò ut valor, sub universali spectatus ratione, ad primorum normam principiorum fiat manifestus, unde non particularis seu *κατασκευαστικὴ* resultat certitudo, quippe quæ aliis etiam Disciplinis est possibilis, sed, quæ Objecto convenit universalis, qualia & sunt

funt principia, qvalis est demonstratio, qvalis scientia, ideo
 & eadem sublatio dubii. At, quam immota etiam hæc fins
 principia, quam firmæ demonstrationes, tamen si quis, *Sca-*
ligeri verbo, *curiosus nimis omnium scrutetur causas*, vel in ipsis
 etiam principiis Ratio serupulos tanquam nodum in scirpo
 quæret. Theologia verè *ἀμετάφυσικὴ καὶ ἀμετακίνητος* reddit ani-
 mum: quicquid dubii oriatur quod huc & illuc mentem tra-
 hat fidemq; titubantem faciat, quicquid homo anxietatis ex-
 ancipiti de salutis fundamento sensu perferentiscat, id omne
 per Revelationis Lumen tollitur, ad ipsum Deum hic tan-
 quam *principium primæ & immotæ Veritatis* patet adirus adeo
 ut si pius fidei salvificæ scrutator, inter tot dolor! Hæretico-
 rum catervos, nesciat aut minimum ambigat, quibus se par-
 tibus addicat, cui sententiæ suffragetur, refragetur, omnis
 eidem dubitandi causa per scripturæ Canonem, ad mini-
 mum usq; eximatur, eaq; propter firmo ipse fidei stans talo
 pleno collaudet ore Deum, ejusq; in his terris augendæ glo-
 riæ se mancipet, donec animæ tandē reportaverit salutem.
 Spectetur itaq; & hic *eminenter præ Metaphysicâ & fidei*
 simul & Theologiæ FINIS.

PRÆSES RESPONDENTI.

ESSE rerum scrutatur Intellectus
 Ad hoc pertingit, in hoc quiescit,
 Est vel non est
 Negat medium,
 Hinc clamat Ratio
 Simul esse & non esse
 impossibile!
 Rotat omnis cognitio
 Ad hanc Axin.
 Hoc firmum, Hoc immotum fulcrum.

Finis

Finge rerum imò tui Esse ex cogitatione,
Fictum erit nisi hoc prius fuerit fixum.

En igitur!

Terminum intellectus in Ente

Non

Entis in intellectu,

Illud quippe illimitatæ considerationis

Limites nescit,

Hic, per dependentia ductus ad independens

Limites ponere nequit,

Sic tangit prima

Non exhaurit,

Sentit famem insatiabilis indagator

At solidum non præbet cibum

Ratio sed Revelatio.

Utriusque perpensis, STEGERE, Excellentiam

Immane quantum distantem,

Rerum quæris naturam non Rationis structuram,

In illâ ordinem, non in hâc artificium,

Principia non notiones

Inde res tibi est non cum LOGICA

Sed

METAPHYSICA.

Abstinet autem putes

Intellectum penetrare ad mysteria,

Cogitationem definire DEUM:

Insipiens Tibi, hæc Sapientia,

Tenebræ ejus Lumen,

Umbrula saltèm

Metaphysica ad Theologiam.


Utrumq; sic pererrans forum


Notum mihi occurrit

In noto noti Cæsaris Dicto

Augurium:

EX UTROQUE ERIS.





☼ (13.) ☼

n. Ens illud abstractè & generalissimè sum-
Metaphysicâ fortitur classes seu species univo-
cippe existendi (altem variat) *Substantiam & Ac-*
c duo genera summa omne Ens verum & re-
ari referatur necesse est. Annon verò hîc ar-
æbetur totius *dispositionis* Scripturæ eminenter
considerare? *Quicquid* Revelatum in Sacro
ice aliud certè discrimen non admittet quàm
relu: Hæc in universali Hominum vocatione
ædicationis, ubi ad Legem & Testimonium
fa: HX. 20. Si itaq; hæc Scripturæ divisio cum
ntis partitione ponderetur, hujus altitudo ad
ata vix erit conspicua: quantum enim interfit
iac operum ad sanorum formam & normam
gnoscere, nemo certè Philosophorum, quàm
s classes Substantiæ & Accidentis penitissimè
ratus, sibi relictus judicabit.

eperies insuper in bene constituto Metaphy-
on qvalem cunq; Entium confusionem, aut, ex
Mirandulæ opinione omnium Habituum con-
gregium potius *ordinem* reliquorum *Entium*
ita ut distincta cuius pateat consideratio, *Entis*
ti, per se & per Accidentis Actu & Potentia Sc. quæ o-
in abstractione sumtum referunt, taceo quod o-
linarum objecta secundum rationem univer-
physicâ concentrentur *juxta Scherzzeri verba*
vid quæso hîc latet sub umbrâ? Inquire modò
giæ Oeconomiam Salutis & infinites nobilio-
vomodo, scilicet facta post lapsum generi hu-
Redemptoris, Redemptorum per Verbum & Sap-
catio, Vocatorum per fidem *justificatio* & quæ
anicam unius Dei Gratiam necessariò respici-
B 3 ciant